

tebit. Mihi quidem potius videtur prius esse, ob hasce rationes, quod primò variis constare tunicis *Cepæ* instar dicatur, deinde quod omnibus id genus Balænis non invenitur. Quod verò solo in Masculo reperiri dicatur, uti *adeps* etiam *Sperma Ceti* falso dictus, eo fit, quia fœmina hujusce generis raro aut nunquam capiatur. *Ambra-grisea* sæpè in litus ejecta est, Animal ex quo nascitur mortuo, quumque levis atque oleosæ naturæ sit, aquæ tantisper innatat, dum in terram injiciatur.

Ambra nigra, *Black Ambergrise*. Ex India Orientali ad nos transportatur, de qua maxima est Auctorum inter se dissensio. Sunt enim qui veræ *Ambrae* nativæ speciem faciunt, quæ reliquis sit imbecillior. Alii factitiam statuunt ex Moscho, Zibetta, Ligno Aloës, Styrace & Labdano, quomodo Pharmacopolas nostros Anglicanos eam conficere certior factus sum; quæ facilis cognitu est, odore scil. quo res ex quibus confecta est prodit, tum quoque colore, & quod aquæ imposita citius mollescat, quam nativa.

Pro Historia *Ambrae-griseæ*, Vid. *Traſtatus Anglicos Weekly Memorials* dictos, Item Ephem. German. & D. *Tropham de Insula Jamaicâ*. Conf. etiam Fallopii, & Klebii Libel. de *Ambra*.

A. 2. Balæna, *Offic. Recch. Hist. Mex.* 568. Balæna vulgaris, *Aldrov. de Pisc.* 688. *Jonf. de Pisc.* 152. *Charlt. Pisc.* 46. Balæna vulgaris e-dentula, dorso non pinnato, *Raii Synop. Pisc.* 6. Balæna major laminas in superiore maxilla habens, bipennis, fistula carens, *Sib. Phal.* 27. Balæna vulgo dicta sive Musculus, *Rondel. de Pisc.* i. 475. Balæna vulgo dicta sive Mysticetus Aristotelis, Musculus Plinii, *Gesn. de Aquat.* 114. Cetus, *Schrod. The Whale*. In mare Septentrionale frequentius. *Ufu*. Axungia seu Oleum, sed in Officinis raro, inter Mechanicos frequenter, & *Whale Oil*, *or Train Oil* dicitur; etiam Laminæ corneæ in ore positæ *Whale Bone* dictæ. *Vires*. Axungia medetur Scabiei illita, *Schrod.*

Alia præterea aliquot Piscium species à D. Salmon in *Pharmacopœia sua Londinensi* memorantur, ut v. g. *Cyprinus latus*, *Alausa minor*, *Alburnus Liparis*, *Apua Corbitæ*, *Aquila marina*, *Aurita*, *Conger*, *Clupea*, *Cuculus*, *Lavaretus*, *Lyra*, *Locha*, *Orbes*, *Passer*, & *Rhombus*: Quibus cum nullæ vires medicæ attribuantur, sed usus duntaxat culinares, plura de iis dicere superfluo, nomina sola sufficere existimans.

SECTIO SECUNDA.

De Avibus.

Aves sunt animalia Sanguinea, ovipara, plumosa, alata, bipeda, pulmone respirantia, corde duobus ventriculis prædita, capite rostrato, rostro substantiæ corneæ, dentibus carentia.

Aves sunt, vel

Terrestres

Rostro & unguibus aduncis, carnivoræ & rapaces,

Diurnæ quæ interdiu prædantur

Majores; atq; hæc vel } Generosiores: *Aquila*.
Ignaviores: *Vultur*.

Minores, ad aucupium institui solitæ

Macropteræ, i. e. alis longis & caudæ ferè æqualibus instructæ: *Milvus*.

Brachypteræ, i. e. alis brevibus & ab extrema cauda multum deficientibus, digitis posticis

Singulis, unguibus nigris: *Accipiter*.

Binis, unguibus etiam luteis: *Cuculus*.

Nocturnæ, quæ internoctu volant & prædantur: *Noctua*.

Rostro & unguibus rectioribus minusque hamatis, suntque vel

Maximæ, singulares & sui generis, ob corporum molem & alarum parvitatem volandi impotes: *Struthio*.

Mediæ magnitudinis, rostris instructæ

Magnis, crassis, validis, & oblongis, quæ vel sunt

Victu promiscuo, ex carnibus & insectis, colore

Nigricante, corpore

Majore: *Corvus*.

Minore: *Cornix*.

Vario ex nigro & albo: *Pica*.

Insectivoræ: *Upupa*.

Minoribus & brevioribus, quæ vel carne

a b

- Alba, æque vel
 { Cicures seu domesticæ, cauda
 { Longissima, corpore majore: *Pavo*.
 { Breuiore, corporeque etiam minore: *Gallus*.
 { Feræ seu sylvestres,
 { Major: *Perdix*.
 { Minor: *Coturnix*.
 Nigra
 { Torque carentes: *Columba*.
 { Torquati
 { Major: *Palumbus*.
 { Minor: *Turtur*.
 Minimæ, Aviculæ dictæ, quæ vel sunt rostris
 { Longissimis, piscivoræ: *Alcedo*.
 { Breuioribus
 { Tenuibus, insectivora cauda
 { Unicolore, digito postico
 { Longissimo: *Galerita*.
 { Breuiore & majore: *Passer Troglo-*
 { *dites*.
 { Bicolore longissima
 { Forcipata alis longissimis: *Hirundo*.
 { Non forcipata, pennis exterioribus
 { Totis albis: *Motacilla*.
 { Extremis tantum: *Parus*.
 Crassis: *Passer*.
 Aquaticæ sunt vel
 { Fissipedes, quæ circa aquas versantur, & in
 { aquosis plerumque victum quærunt, aquis
 { tamen non innatant
 { Maximæ: *Grus*.
 { Minores piscivoræ, collo
 { Longiore: *Ardea*.
 { Breuiore: *Ciconia*.
 Palmipedes, quæ aquis innatant, cruribus bre-
 { vioribus donatæ tetradactylæ digito postico
 { soluto, latirostræ, corpore
 { Majore collo
 { Longiore, rostro & pedibus nigris: *Cygnus*.
 { Breuiore, rostro & pedibus rubris: *Anser*.
 { Minore: *Anas*.

Aves aquaticæ fissipedes maximæ.

Hæ omnes longioræ sunt, cruribus quoque supra genua aliquosque nudis, ut aquas vadefas commodius ingrediantur, circa aquas versantur, & in aquosis victum quærunt; aquis tamen non innatant, R. Ornith. p. 199.

I. De Grue.

Gruæ ab Ardeis differunt, 1. Ungue mediæ digiti minimè serrato. 2. Magnitudine qua illas superant. 3. Rostro breuiore. 4. Ventriculo Musculoso. 5. Appendicibus binis, cum Ardeæ singulas habeant. 6. Mira asperæ arteriæ revolutione, R. Ornith. p. 200.

A. Grus, Offic. Schrod. v. 319. Will. Ornith. 199. Ravi Ornith. 274. Ejusd. Synop. Avium 95. Gesn. de Avib. 424. Aldrov. Ornith. iii. 324. Jons. de Avib. 114. Charlt. Exerc. 114. Mer. Pin. 185. Bellon. des Oyse 188. **The Crane.** Sæpissime ad nos commeant. Ufu. Avis integer, Pinguedo, Fel, Caput, Oculi, Ventriculus, Medulla tibiæ. Vires. Avis hæc quia nervosa est, nervosis ac membranosis partibus peculiariter convenire statuitur. Hinc usus ejus commendatur in doloribus colicis. Pinguedo surditati auxilio est, auribus instillata, Lienis duritiem, aliosque tumores renitentes emollit, rigori cervicis velocissimè succurrit, ejusdemque naturæ esse dicitur ejus Anserina pinguedo. Fel oculis prodest. Caput, Oculi, & Ventriculus pulverisata fistulis, cancris, & varicosis ulceribus insperguntur. Medulla tibiæ inservit unguento Ophthalmico inde parando, Schrod.

Aves aquaticæ fissipedes Piscivoræ.

II. De Ardea.

Ardearum autem familia hac certissima nota ab aliis omnibus avium generibus distinguitur, quod nimirum intestinum cæcum unicum & simplex, singulæ obtineant, cum aliæ aves geminas nascæ sunt, Ravi Ornith. 203.

A. 1. Ardea,

De Animalibus Medicamentosis.

383

A. 1. Ardea, Offic. Schrod. v. 315. Ardea cinerea, Mer. Pin. 181. Pella & Ardea, Bellon. des Oyse 190. Ardea cinerea major, Raii Synop. A. 98. Aldrov. Ornith. iii. 377. Charlt. Exer. 109. Jonsf. de Avib. 103. Ardea pulla five cinerea, Gesn. de Avib. 187. Ardea cinerea five pulla, Raii Ornith. 277. Will. Ornith. 203. **The Heron.** In aquosis gaudet. Ufu. Pinguedo five Axungia. Vires. Rarus usus est in Medicina, lenire tamen dicitur, Podagricos dolores, oculorumque nebulas discutere & visum clarificare illita; hinc & furdastris conferre indita auribus, Schrod.

A. 2. Asterias, Offic. Ardea stellaris, Mer. Pin. 181. Will. Ornith. 207. Raii Ornith. 282. Ejusd. Synop. A. 100. Charlt. Exer. 110. Ardea stellaris major, Aldrov. Ornith. iii. 408. Gesn. de Avib. 193. Jonsf. de Avib. 104. Butor, Bellon. des Oyse 192. **The Bittern, or Pire-Drum.** Juncetis, arundinaceis, &c. latitat. Ufu. Cutis, Plumæ. Vires. Ultae Hæmorrhagias sistunt.

III. De Ciconia.

Notæ sunt, Collum brevius & crassius quam in Ardeis rostro crepitat crebro mandibularum ad se mutuo appulsu, ungues sunt lati humanis similes.

A. Ciconia, Offic. Schrod. v. 315. Bellon. des Oyse 202. Aldrov. Ornith. iii. 291. Mer. Pin. 181. Gesn. de Avib. 230. Jonsf. de Avib. 100. Charlt. Exer. 108. Ciconia alba, Raii Ornith. 286. Ejusd. Synop. Avib. 97. Will. Ornith. 210. **The Stork.** Rarius huc advolat. Ufu. Avis ipsa, Fel, Axungia, Stercus, Ventriculus. Vires. Ciconia vim habet Alexipharmacam insignem, adeo ut contra omnis generis venena & imprimis contra pestem præstantissima censeatur, insuper nervosis & articularibus affectibus succurrit. Fel ad oculorum vitia commendatur. Axungia podagricis & tremulis articulis utiliter illinitur. Stercus, si ex aqua hauriatur comitialibus aliisque morbis capitis prodesse credunt. Ventriculus exsiccatus ac pulverisatus pro maximo secreto habetur in venenis, Schrod.

Aves aquaticæ limosugæ.

IV. De Scolopace.

A. Gallinago, Offic. Scolopax, Charlt. Exer. 112. Raii Ornith. 281. Scolopax, Gal-

linago maxima, Ejusd. Synop. A. 104. Will. Ornith. 213. Becassine, Bellon. des Oyse 116. Scolopax five Perdix rustica, Aldrov. Ornith. iii. 471. Jonsf. de Avib. 110. Rusticula, vel Perdix rustica major, Gesn. de Avib. 444. Rusticola major, Scolopax, Gallinago, Mer. Pin. 173. **The Woodcock.** In aquosis gaudet. Ufu. Cineres. Vires. Lithontriptici esse existimantur.

V. De Pluviali.

A. G. Lottis, Offic. Gesn. de Avib. 450. Limosa Venetorum, Ejusd. Pluvialis major, Aldrov. Ornith. iii. 535. Will. Ornith. 220. Raii Ornith. 298. Ejusd. Synop. Av. 106. Charlt. Exer. 114. Jonsf. de Avib. 114. Chloropus Germanis Gult seu Gluttis, Aldrov. iii. 452. **The Great Plover.** In aquosis gaudet. Ufu. Fel. Vires. Oculorum morbis medetur. Gelatina carnis Analeptica esse existimatur.

Aves aquaticæ fissipedes Insectivoræ.

VI. De Vanello.

A. Vanellus, Offic. Charlt. Exer. 113. Mer. Pin. 182. Gesn. de Avib. 692. Jonsf. de Avib. 113. Capella, five Vanellus, Aldrov. Ornith. iii. 523. Raii Ornith. 307. Ejusd. Synop. A. 110. Will. Ornith. 228. Vaneau, Bellon. des Oyse 209. **The Lapwing, or Bastard Plover.** In aquosis etiam gaudet. Ufu. Cineres, Cor, Cutis. Vires. Cineres in vino poti colicos juvat, & in Cataplasmatibus forma applicata, Canis rabidi morsus sanat. Cor dolorem lumborum mitigat. Cutis in cephalalgia æstimatur.

Aves aquis innatantes fissipedes, quibus digiti nullis ad latera membranis augmentur.

VII. De Gallinula.

Gallinarum notæ characteristicæ, quibus ab aliis avium generibus distinguantur, sunt, Caput parvum, Corpus ferè adductum, gracile & ad latera com-

compressum: Rostrum breve & modicè inflexum: Alæ breviusculæ, concavæ, & Gallinaceis similes: Cauda perbrevis: Crura longa: Digiti longissimi: Volatus breves, R. Ornith. p. 232.

A. Gallina aquatica, *Offic.* Gallinula chloropus major, *Aldrov. Ornith. iii. 450. Will. Ornith. 232. Raii Ornith. 312. Ejusd. Synop. A. 113. Fons. de Avib. 111. Gallina chloropus, Charlt. Exer. 112. Gallus palustris, Mer. Pin. 174. Poulette d'eau, Bellon. des Oyse 211. The common Water-Hen, or Moor-Hen.*

In piscinis juxta nobilium ædes plerumque victitat. *Ufu.* Ventriculus, Plumæ eorumque cineres. *Vires.* Ventriculus in Asthmate commendatur. Fumus plumarum contra Passionem Hystericam æstimatur. Cineres ejusdem ulcera vetera, & fistulas siccant.

Aves natatrices fissipedes digitis ad latera membranis auctis.

VIII. De Fulica.

A. **F**ulica, *Offic.* *Aldrov. Ornith. iii. 91. Will. Ornith. 239. Raii Ornith. 319. Ejusd. Synop. A. 116. Gesn. de Avib. 344. Fons. de Avib. 98. Mer. Pin. 174. Cotta major, five Calva, Charlt. Exer. 107. An Cotta, five Cutta Anglorum, Aldrov. Ornith. iii. 98? Cotta Anglorum, Fons. de Avib. 99. Poule d'eau, Bellon. des Oyse 181. The Coot, or Bald-Coot. Locis palustribus & stagnantibus delectatur. *Ufu.* Caro, Cor. *Vires.* Cor in Epilepsia commendatur. Caro contra ictus Araneorum in usu est.*

Aves palmipedes angustirostræ.

IX. De Mergo.

Rostris angustis, in extremo aduncis, ferratis à reliquis Palmipedibus tetradaetylis digito postico soluto differt.

A. Mergus, *Offic.* Bellon. des Oyse 180. Merganser, *Aldrov. Ornith. 285. Fons. de Avib. 97. Charlt. Exer. 101. Raii Ornith. 335. Ejusd. Synop. A. 134. Mergus ferrati-rostrum, Mer.*

Pin. 180. Will. Ornith. 253. The Goosander, or Dundiver. In oris maritimis reperitur. *Ufu.* *Jecur. Vires.* Inveteratum autem sale Mergi jecur ex hydromelite binis ligulis potum, secundas pellit *Diose.* Id assatum cum oleo, & modico sale datum, mirificè conferre à rabido cane morsis asserit *Ætius.* Avis totum assum, & in cibo sumptum elephantiasi & spleni medetur. Sanguis ejus antipharmacum est, & feris venenatis resistit. Ova dysenteriam, & renes, & stomachum sanant, *Kiranid.*

X. De Laro.

Larus palmipes est, Rostro oblongo, angusto, acuto, ac parumper in extremo recurvo; naribus oblongis; alis longis & validis, cruribus breviusculis; pedibus parvis, &c. *R. Ornith. p. 261.*

A. Larus, *Offic.* Larus major, *Aldrov. Ornith. iii. 62. Larus hybernus, Baln. Larus major Aldrovandi, Will. Ornith. 261. Raii Ornith. 351. Ejusd. Synop. A. 129. Larus fuscus five hybernus, Ejusd. 130. Will. Ornith. 266. The Cuddy, or Puddy.*

In rivulis salis gaudet. *Ufu.* Cerebrum, Cor, Ventriculus. *Vires.* Cerebrum siccatum Epilepsiam curat, *Aurelian.* Cor in partu difficili commendatur. Ventriculum & concoctionem juvat, *Kiranid.*

Aves palmipedes cruribus brevioribus Latirostræ.

Palmipedibus autem in genere hæ notæ conveniunt: 1. Tibiæ breves, 2. Crura ad articulos genuum plurimis vestita. 3. Digiti postici breves. 4. Digitus anticus extimus intimo brevior. 5. Uropygia minus erecta, quam aliarum avium. 6. Unguem seu appendicem habent extremitate laminæ rostri superioris. 7. Capita ad latera compressa obtinent, *Will. Ornith. 241.*

Anserinum genus.

Notæ sunt, Moles corporis major; collum oblongum, alæ amplæ, cauda quoque ampla & in

in circulem fere circumferentiam terminata, annulus circa uropygium albus, dorsum rotundius & elatius, nec adeo planum & depressum ac in Anatino genere, rostrum ad basin crassius, versus apicem tenuius, minusque planum ac resinum quam Anatibus, Will. Ornith. 271.

XI. De Cygno.

A. **C**Ygnus, Offic. Aldr. Orn. iii. 8. Bell. des Oyse 152. Charlt. Exer. 103. Gefn. de Avib. 327. Jons. de Avib. 90. Cygnus mansuetus, Raii Ornith. 355. Ejusd. Synop. A. 136. Mer. Pin. 174. Olor, Schrod. v. 321. Will. Ornith. 271. **The Swan.** Usu. Adeps. Vires. Emollit, lenit, attenuat, adeoque utilis est hæmorrhoidibus, & vulvari duritiei; oculos purgat; cum vino lentigines cutis tollit, Schrod.

XII. De Anser.

A. 1. **A**Nser, Offic. Charlt. Exer. 103. Bellon. des Oyse 157. Anser domesticus, Schrod. v. 314. Raii Ornith. 358. Ejusd. Synop. A. 136. Will. Ornith. 273. Aldrov. Ornith. iii. 102. Gefn. de Avib. 125. Jons. de Avib. 92. Mer. Pin. 179. **The Goose.** Usu. Pinguedo, Sanguis, Stercus, Cuticula pedum. Vires. Pinguedo calore suillam superat, suæque subtilitatis ratione promptius penetrat, ac resolvit, adeoque rectè per anum injectur, ad obtundendam erosionem in alto corpore sitam; alopecias capillis explet, rimis labiorum medetur, tinnitui aurium succurrit, spasmus nervosque rigidos sanat, alvum laxat, præcipue infantum. Sanguis alexipharmacus habetur. Stercus calfacit & siccit vehementer, incidit, aperit; menses, secundinam, & urinas potenter movet. Hinc maximi usus in morbo regio, ictero, hydropo, scorbuto. Cuticula pedum exsiccata, & pulverisata, ob astringendi vim commendatur in profluvio mensium sistendo. Extrinsecus cum successu perniciem imponitur, Schrod.

A. 2. Anser ferus, Offic. Schrod. v. 314. Aldrov. Ornith. iii. 147. Mer. Pin. 179. Raii Ornith. 358. Ejusd. Synop. A. 136. Will. Ornith. 274. Gefn. de Avib. 140. Jons. de Avib. 93. Charlt. Exer. 103. De l'Oye faauve, Bellon. des Oyse 158. **The Wild-Goose.** In maritimis. Usu. Ejusdem cum domestico, cui viribus præfertur, Schrod.

XIII. De Vulpanser.

A. **V**ulpanser, Offic. Bellon. des Oyse 159. Vulpanser sive Chenalopex, Jons. de Avib. 94. Charlt. Exer. 103. Chenalopex, Vulpanser, Mer. Pin. 179. Tadorna, Bellon. des Oyse 172. Tadorna, quibusdam Vulpanser, Raii Ornith. 362. Tadorna Bellonii, Vulpanser quibusdam, Ejusd. Synop. A. 140. Will. Ornith. 278. **The Sheldrake, Burrough-Duck, or Wet-Gander.** In maritimis observatur. Usu. Adeps. Vires. Contra herpes, & tumores faciei à quibusdam commendatur.

XIV. De Anate.

A. 1. **A**Nas, Offic. Bellon. des Oyse 160. Anas domestica, Aldrov. de Ornith. iii. 188. Jons. de Avib. 95. Schrod. v. 314. Charlt. Exer. 104. Anas domestica vulgaris, Will. Ornith. 293. Raii Ornith. 380. Ejusd. Synop. A. 150. Circur, Gefn. de Avib. 83. **The Duck or Drake.** Usu. Anas viva, Adeps, Sanguis, Fimus. Vires. Viva sedat dolores colicos, si ventri imponatur, parte deplumata. Eapropter eo utimur in dolore interno & externo, scil. laterum, artuum, in nervorum frigida intemperie, &c. Sanguis alexipharmacus est; & hinc in antidota nonnunquam asciscitur. Fimus morui venenatorum animalium imponitur, Schrod.

A. 2. Anas sylvestris, Offic. Schrod. v. 314. Anas torquata minor, Raii Synop. A. 145. Aldrov. Ornith. iii. 212. Anas fera torquata minor, Gefn. de Avib. 99. Anas fera, Charlt. Exer. 104. Mer. Pin. 180. Boscas major, Jons. de Avib. 97. Will. Ornith. 284. Raii Ornith. 371. **The Wild-Duck and Mallard.** In fluviis. Usu. Adeps, Sanguis, Fimus. Vires. Cum domestico convenit.

Aves terrestres minores, seu Aviculæ.

Aviculæ in genere dividi possunt in 1. Longirostras seu piscivoras. 2. Tenuirostras, seu insectivoras. 3. Rostris brevibus ac crassis, seu phytivoras.

Aviculæ rostris longissimis, seu Piscivoræ.

XV. De Ispida.

Avis est speciosa, passere paulo amplior, rostro longo, colore tum cærules, tum viridi, tum purpureo; juxta glaciem rivulorum degens.

A. Ispida, Offic. Aldrov. Ornith. iii. 518. Gefn. de Avib. 513. Jonsf. de Avib. 107. Ispida, an veterum Halcyon? Will. Ornith. 101. Raii Ornith. 146. Ejusd. Synop. A. 43. Ispida, Alcyon fluviatilis, vulgò Piscator Regis, Charlt. Exer. 111. Alcedo, Schrod. v. 314. Halcedo muta, Bellon. des Oyse 219. *The King's fisher.* Ad fluvios degit. Usu. Cor. Vires. Cor, quod ficcatum, & collo infantium appensum comitalem morbum arcere volunt, Schrod.

XVI. De Merope.

A. Merope, Offic. Aldrov. Ornith. i. 871. Charlt. Ex. 94. Bellon. des Oyse 267. Gefn. de Avib. 539. Jonsf. de Avib. 81. Merope sive Apiafter, Raii Ornith. 147. Ejusd. Synop. A. 49. Will. Ornith. 102. Apiafter, Bellon. des Oyse 225. *The Bee-eater.* In Creta & Italia frequens reperitur. Usu. Avis ipsa, Cor, Fel. Vires. Merope, & Cor ejus, Cardiacos, Icteros, & stomachicos juvant. Fel cum melle & succo Rutæ oculorum suffusionem sanare tradit Kiranid.

Aviculæ rostris tenuibus, seu Insectivoræ.

SIC vocamus aviculas, quæ circa arbores plerumque versantur, deque insectis, quæ ibi inveniunt, præcipue victitant. Irrequietæ sunt, & certo aliquo loco residere nesciæ, ac modo hanc modo illam arborem petunt. Rostra his breviora: corpuscula exigua, caudæ longæ, Raii Ornith.

XVII. De Alauda.

NOTÆ sunt, Calcaneum seu digiti postici unguis prælongus, color plumarum testaceus terreusve; in sublime evolantes cantillare, R. Ornith. p. 148.

A. 1. Galerita, Offic. Bellon. des Oyse 268. Alauda cristata, Schrod. v. 314. Aldrov. Ornith. ii. 841. Mer. Pin. 176. Jonsf. de Avib. 70. Alauda cristata, albicans, Gefn. de Avib. 72. Alauda cristata major, Raii Synop. A. 69. Alauda cristata, Galerita, Ejusd. Ornith. 208. Alauda cristata, Vienna Austriæ visa & descripta, Will. Ornith. 151. Alauda, Galerita cassita, cristata, Charlt. Exer. 88. *The Crested Lark.* Usu. Avis ipsa, Cor, Sanguis. Vires. Avis ipsius Cor femori alligatum, arcere colicum dolorem aiunt; idem quoque de corde recenti devorati perhibent. Sanguis recens ex aceto acri, aut vino calido haustus, calculosis efficacissimè subvenit, Schrod.

A. 2. Alauda, Offic. Mer. Pin. 176. Alauda non cristata, Schrod. v. 314. Jonsf. de Avib. 70. Aldrov. Ornith. ii. 844. Bellon. des Oyse 269. Alauda vulgaris, Raii Ornith. 203. Ejusd. Synop. A. 69. Will. Ornith. 149. Alauda altera, Gefn. de Avib. 72. *The Skie Lark.* Usu. Avis ipsa, Sanguis. Vires. Cum priore viribus convenit.

XVIII. De Hirundine.

NOTÆ sunt, Caput grande, rostrum breve; Oris hiatus amplius; pedes breves & exigui; alæ longissimæ; volatus pernix & fere continuus; cauda longa & forcipata, ad corpus expeditius flectendum & circumagendum, R. Ornith. p. 154.

A. 1. Hirundo, Offic. Schrod. v. 320. Ind. Med. lix. Bellon. des Oyse, 379. Mer. Pin. 177. Hirundo domestica, Aldrov. Ornith. ii. 662. Jonsf. de Avib. 83. Gefn. de Avib. 492. Charlt. Exer. 95. Will. Ornith. 155. Raii Ornith. 212. Ejusd. Synop. A. 71. Hirundo vulgaris, Scalig. *The Swallow.* Usu. Avis integra, Cor, Sanguis, Nidus, Stercus. Vires. Integre & earum pulli epilepsiæ specificè subveniunt, oculorum hebetudini, lippitudini, cinis cum melle illitus. Anginæ ac uvulæ inflammatae medetur. Cor epilepsiæ itidem conferre, memoriamque roborare aiunt, alii contra quartanam devorant. Sanguinem peculiariter oculis conferre volunt. Nidus auxilio anginæ est, oculorum rubedini medetur: Ictui viperino convenit impositus. Stercus calfacit impense, discutit, acre est. Usus præcipui in moribus canis rabidi, in doloribus colicis & nephriticis, alvum irritat, Schrod.

A. 2. Hirundo riparia, Schrod. v. 320. Mer. Pin. 178. Aldrov. Ornith. ii. 694. Gefn. de Avib. 507. Jonsf. de Avib. 84. Charlt. Exer. 96. Raii Or-

Ornith. 213. *Ejusd. Synop. A. 71. Will. Ornith. 156. The Sand-Martin. Ufu. Avis ipsa, Sanguis.*

A. 3. Apos, *Offic. Aldrov. Ornith. ii. 698. Bellon. des Oyse 377. Fons. de Avib. 84. Gesn. de Avib. 506. Apos major, Charlt. Exer. 96. Hirundo, Apus, Raii Ornith. 214. Ejusd. Synop. A. 72. Mer. Pin. 178. Will. Ornith. 156. The Black-Martin, or Swift. Æstate in Anglia subvenit. Ufu. Avis ipsa. Vires. In vino sumpta tormina sanat, Plin.*

A. 4. Hirundo Indica, *Offic. Hirundo maritima, Aët. Philos. Lond. N° 285. p. 1396. Hirundo Sinensis nido eduli Bontii, Will. Ornith. 15. Raii Ornith. 215. Ejusd. Synop. A. 72. Hirundo Chinenfis, Bont. 66. An Hirundo exotica aquatica, Fons. Mantiff. The Indian Swallow. In maritimis Chinenfis. Ufu. Nidus semi-hemisphericæ figura, ovi Anserini magnitudine, pelucidus, substantiâ ictthyocollam referente. Vires. Venerem stimulat. An ex spermate quorundam Piscium, vel ex Gum. plantarum rupensium, D. Tancredo Robinson, M. D. ?*

XIX. De Rubecula.

A. Rubecula, *Offic. Fons. de Avib. 87. Mer. Pin. 178. Bellon. des Oyse 349. Gesn. de Avib. 681. Charlt. Exer. 97. Schw. A. 345. Erithacus sive Rubecula, Aldrov. Ornith. ii. 742. Rubecula sive Erithacus, Raii Ornith. 219. Ejusd. Synop. A. 78. The Robin-Red-breast, or Huddock. Ufu. Avis ipsa. Vires. Venerem stimulare à quibusdam existimatur.*

XX. De Luscinia.

A. Luscinia, *Offic. Aldrov. Ornith. ii. 771. Charlt. Exer. 97. Gesn. de Avib. 532. Fons. de Avib. 88. Schw. A. 295. Luscinia seu Philomela, Raii Ornith. 220. Ejusd. Synop. A. 78. Will. Ornith. 161. Philomela, Luscinia, & Luscinola, Bellon. des Oyse 336. Luscinia, Luscinola, Mer. Pin. 179. The Nightingale. Ufu. Caro, Fel. Vires. Caro in cachexia prodest, cerebrum confortat. Fel cum melle illitum visum perfectè acuit, Kiranid.*

XXI. De Ficedula.

A. Ficedula, *Offic. Charlt. Exer. 88. Bellon. des Oyse 359. Ficedula, Atricapilla, Gesn. de*

Avib. 339. Atricapilla, Fons. de Avib. 90. Schw. A. 227. Atricapilla, seu Ficedula, Aldrov. Ornith. ii. 757. Raii Ornith. 226. Ejusd. Synop. A. 79. Will. Ornith. 162. The Black-Cap. Ufu. Avis ipsa. Vires. Ficedula in cibo aciei visus medicamentum præbet, Diosc.

XXII. De Passere Troglodyte.

A. Passer troglodytes, *Offic. Schrod. v. 322. Aldrov. Ornith. ii. 655. Mer. Pin. 177. Gesn. de Avib. 588. Schw. A. 324. Fons. de Avib. 82. Bellon. des Oyse 341. Will. Ornith. 164. Raii Ornith. 229. Ejusd. Synop. A. 80. The Wren. Ufu. Avis ipsa. Vires. maximopere commendatur ad calculum atterendum & expellendum, sive integer evulsis pennis sale conditus crudè devoretur, sive incineratus assumatur, Schrod.*

XXIII. De Motacilla.

Cauda prælonga, quam perpetuò fere motitant. Circa aquas præcipue versantur, Raii Synop. A.

A. Motacilla, *Offic. Schrod. v. 321. Mer. Pin. 178. Motacilla alba, Aldrov. Ornith. ii. 726. Gesn. de Avib. 557. Fons. de Avib. 86. Charlt. Exer. 96. Schw. A. 386. Raii Ornith. 237. Ejusd. Synop. A. 75. Will. Ornith. 171. Cnipologus, Bellon. des Oyse 356. The Water-Magtail. Ufu. Avicula integra. Vires. In calculo atterendo vis mira prædicatur, Schrod.*

XXIV. De Paro.

A. Parus, *Offic. Bellon. des Oyse 369. Parus major, Aldr. Orn. ii. 710. Gesn. de Avib. 578. Fons. de Avib. 86. Charlt. Exer. 96. Mer. Pin. 178. Parus carbonarius, Schw. A. 318. Parus carbonarius major, Schrod. v. 322. Fringillago seu Parus major, Raii Ornith. 240. Ejusd. Synop. A. 73. Will. Ornith. 174. The Titmouse. Ufu. Avicula ipsa. Vires. Efficax prædicatur adversus renum calculos, & colicos cruciatus, in cibo vel cinere exhibitus, Schrod.*

Aviculæ magnis, crassis, & validis rostris, seu Granivoræ.

XXV. De Rubicilla.

Rubicilla, Offic. Mer. Pin. 176. Schw. A. 346. Rubicilla, Pyrrhula, Charlt. Exer. 97. Rubicilla seu Pyrrula, Gesn. de Avib. 664. Will. Ornith. 180. Raii Ornith. 247. Ejusd. Synop. A. 86. Pyrrhula seu Rubicilla, Aldrov. Ornith. ii. 744. Jons. de Avib. 87. Rubecula, Bellon. des Oyse 349. Byrriola, Scaliger. *The Bullfinch*, Alp. & Pope. Usu. Caro. Vires. In colicis effectibus à quibusdam æstimatur.

XXVI. De Passere.

Rostra bis breviora, crassa, nonnihil incurva, color testaceus, terreusve, R. Ornith. p. 182.

A. Passer vulgaris, Offic. Schrod. v. 322. Passer, Gesn. de Avib. 581. Bellon. des Oyse 362. Passer domesticus, Aldrov. Ornith. ii. 534. Jons. de Avib. 65. Schw. A. 321. Mer. Pin. 175. Will. Ornith. 182. Raii Ornith. 249. Ejusd. Synop. A. 86. Passer domesticus vulgaris, Charlt. Exer. 86. *The House Sparrow*. Vires. Quia avis salacissima est, commendatur ad Venerem, comesta præcipue cerebella, Schrod.

XXVII. De Carduele.

Carduelis, Offic. Will. Ornith. i. 189. Raii Ornith. 256. Ejusd. Synop. A. 89. Aldrov. Ornith. ii. 798. Gesn. de Avib. 215. Jons. de Avib. 68. Charlt. Exer. 87. Mer. Pin. 175. Schw. A. 233. Bellon. des Oyse 353. *The Goldfinch*. Usu. Avis ipsa. Vires. Asa, & in cibo sumpta, Iliacos & Colicos perfectè curat, Kiranid.

XXVIII. De Linaria.

Linaria, Offic. Aldrov. ii. 824. Gesn. de Avib. 530. Charlt. Exer. 88. Jons. de Avib. 69. Mer. Pin. 176. Schw. 294. Linaria vulgaris, Raii Ornith. 258. Ejusd. Synop. A. 90. Will. Ornith. 190. Linote, Bellon. des Oyse 356. *The Common Linnet*. Usu. Caro. Vi-

res. Analeptica à quibusdam æstimatur; calculos è renibus & vesica expellit.

Aves rostro & unguibus minùs hamatis Majores.

Hæ sunt vel rostris crassis, validis & longiusculis rectis, vel rostris brevioribus aut minoribus donatæ.

Aves majores rostris crassis, validis, & longiusculis rectis.

Hæ sunt vel carne, insectis & frugibus promiscue vescentes, vel insectis tantum.

XXIX. De Corvo.

Corvus, Offic. Schrod. v. 317. Aldrov. Ornith. i. 694. Bellon. des Oyse, 280. Gesn. de Avib. 294. Jons. de Avib. 23. Charlt. Exer. 75. Mer. Pin. 171. Schw. 244. Will. Ornith. 82. Raii Ornith. 121. Ejusd. Synop. A. 39. *The Raven*. Usu. Pulli, Cerebrum, Pinguedo, Sanguis, & Stercus. Vires. Pulli incinerati commendantur ad comitalem morbum, & ad podagram, Alphos itidemque Cerebrum ad epilepsiam. Pinguedo & Sanguis capillos reddit nigros. Stercus Infantum tussim, doloremque dentium sedare aiunt, de collo suspensum. Sunt qui Ova in dysenteria exhibent, Schrod.

XXX. De Cornice.

Cornix, Offic. Schrod. v. 317. Bellon. des Oyse 282. Will. Ornith. 83. Raii Ornith. 122. Ejusd. Synop. A. 39. Gesn. de Avib. 281. Cornix nigra, Aldrov. Ornith. i. 736. Corvus, Jons. de Avib. Tab. xvi. Mer. Pin. 171. Corvus minor, Charlt. Exer. 75. *The Carrion Crow*. Usu. Fimus. Vires. Fimum in vino potum dysenteriam sanare tradit Kyranides, Schrod.

XXXI. De

XXXI. De Monedula.

A. **M**onedula, Offic. *Jonsf. de Avib.* 26. *Bellon. des Oyse.* 286. *Charlt. Exer.* 75. *Schw. A.* 305. *Raii Ornith.* 125. *Gesn. de Avib.* 468. Monedula sive Lupus, *Aldrov. Ornith.* i. 770. *Will. Ornith.* 85. *Raii Synop. A.* 40. Graculus vel Monedula, *Mer. Pin.* 172. *The Jackdaw.* *Usu. Caro.* *Vires.* Externè applicata tumores dissolvit, & schrophulas juvat.

XXXII. De Graculo.

A. **G**raculus, Offic. *Bellon. des Oyse* 283. *Charlt. Exer.* 75. *Coracias, Mer. Pin.* 172. *Coracias*, seu *Pyrrhocorax*, *Will. Ornith.* 86. *Raii Ornith.* 126. *Ejusd. Synop. A.* 40. *Gesn. de Avib.* 473. *Aldrov. Ornith.* i. 769. *Jonsf. de Avib.* 26. *The Cornish Chough.* In Agro Cornubiensi & alibi invenitur. *Vires.* Cum Monedula viribus convenit.

XXXIII. De Pica.

A. **P**ica, Offic. *Schrod. v.* 323. *Schw. A.* 333. *Mer. Pin.* 172. *Charlt. Exer.* 75. Pica varia cordata, *Will. Ornith.* 87. *Raii Ornith.* 127. *Ejusd. Synop. A.* 41. *Aldrov. Ornith.* i. 784. *Gesn. de Avib.* 628. *Jonsf. de Avib.* 27. *The Pabby, or Pjanet.* *Vires.* Avis hæc maximè commendatur ad oculorum obscuritatem, ruborem, dolorem, comesta vel incinerata, oculisque indita, vel quocunque modo apposita. Convenit & Maniacis, Epilepticis, Melancholicis cinis exhibitus, *Schrod.*

XXXIV. De Upupa.

A. **U**pupa, Offic. *Schrod. v.* 324. *Aldrov. Ornith.* ii. 704. *Gesn. de Avib.* 703. *Schw. A.* 368. *Jonsf. de Avib.* 85. *Charlt. Exer.* 98. *Raii Ornith.* 145. *Ejusd. Synop. A.* 48. *Will. Ornith.* 100. *Bellon. des Oyse* 293. *The Hoop.* Avis est melancholica, spurcissima, victitans vermiculis in stercore repertis, erucis, scarabæis, &c. *Usu. Caro, Pennæ.* *Vires.* Caro, ejusque decoctum proprietate sua colicos juvat, assumpta, *Avicen.* Pennæ dolores capitis demulcere dicuntur, impositæ, *Schrod.*

XXXV. De Struthione.

Avis est maxima, exotica, ob corporis molem & alarum parvitatem ad volandum omnino inepta, facultate chylica celebris.

A. Struthio, Offic. *Schrod. v.* 323. *Charlt. Exer.* 79. Struthio-camelus, *Will. Ornith.* 100. *Raii Ornith.* 144. *Ejusd. Synop. A.* 36. *Schw. A.* 350. *Aldrov. Ornith.* i. 587. *Gesn. de Avib.* 670. *Jonsf. de Avib.* 35. *Bellon. des Oyse* 232. *The Districh.* *Usu. Tunica Ventriculi, Adeps, Ova.* *Vires.* Tunica interior Ventriculi ventriculum corroborat, calculosque dissolvit mirè. Adeps nervosis partibus convenit, duritiem lienis mollit, dolores nephriticos mitigat, inunctus, *Schrod.* Ova usta, & in aceto trita impetigines emendant, *Jonsf.*

Aves majores rostris brevioribus aut minoribus donatæ, seu Granivoræ.

Hæc sunt vel carne alba, seu Genus Gallinaceum; vel carne nigra, seu Genus Columbinum.

Gallinaceum Genus.

Gallinacei Generis notæ sunt, 1. Rostrum habere breve, validum, & nonnihil recurvum, ad grana colligenda perquam idoneum. 2. Corpus crassum, carne multa alba, præcipue muscutorum pectoris. 3. Alas breves & concavas. 4. Ventriculum crassis musculis instructum. 5. Appendices, seu Intestina cæca, longissima. 6. Multiparum esse, & humi nidificare, *Raii Ornith.* 108.

XXXVI. De Gallo Gallinaceo.

A. **G**allus & Gallina, Offic. *Schrod. v.* 317. Gallus gallinaceus, & Gallina domestica, *Will. Ornith.* 109. *Raii Ornith.* 154. *Ejusd. Synop. A.* 51. Gallus gallinaceus & Gallina, *Aldrov. Ornith.* ii. 183. Gallus gallinaceus, *Gesn. de Avib.* 348. *Jonsf. de Avib.* 49. *Charlt. Exer.* 84. Des Poulles de diverses sortes, *Bellon. des Oyse* 245. *The Cock and Hen.* N. Gallus castratus *Capo* dicitur, a *Capon.* *Usu.* Avis integra, Cerebrum, Tunica Ventriculi, Testiculi, Fel, Pinguedo, Gut-

tur, Stercus, Ova. *Vires*. Gallina dissecta, sanguine adhuc calente, imponitur capiti in phrenitide, cephalalgia, &c. Morfibus itidem venenatorum animalium simili ratione mederi aiunt: anthracibus imposita venenum elicit; nec prætereundum, quòd sanguinis eruptionem in vulneribus recentibus sistat. *Viva* circa anum deplumata è bubonibus venenum extrahit, imposita. *Cerebrum* vim habet incrassandi, fluxusque compescendi. *Tunica interior Ventriculi* extracta, ficcata, & pulverisata, vim habet tum astringendi & corroborandi ventriculum, adeoque vomitum & fluxum alvi compescendi, tum & calculum comminuendi. *Testiculi* deperditas in morbis vires mirificè restituere dicuntur, semen prolificum suppeditant, & Venereas vires roborant. *Fel* maculas cutis aufert, illitum: oculis convenit. *Pinguedo* Gallinarum & Caponum calfacit, humectat, emollit, lenit, mediaque inter suillam & anserinam existit, harumque acrimoniam obtundit: convenit labiorum rimis, aurium doloribus, oculorum pustulis. *Guttur* Galli ustum & non consumptum, sed tostum & exsiccatum, sub noctem ante cenam exhibitum, specifica proprietate sanat mictionem involuntariam nocturnam. *Solenand.* S. 4. Conf. 11. Stercus omnia eadem præstare aptum est, quæ Columbinum, sed inefficacius, privatim tamen colico & uterino dolori convenit. Valet itidem ad icterum, calculum, & urinæ suppressionem. N. Præstantius habetur id quod in stercore album est. Extrinsecus exsiccat achores capitis, aliamque scabiem manantem cinis inspersus. Luteum Stercoris consolidat vesicæ exulcerationem. Ova medicinæ exhibent testas membranas, albumen, vitellumque. *Testæ* vim habent lithontripticam; tartareamque mucilaginem incidendi. *Membranulæ* vim habent diureticam, intrinsecus & extrinsecus adhibitæ, præputioque imponuntur infantum. *Albumen* vim habet refrigerandi, astringendi, agglutinandi; ususque crebri est in oculorum rubedine, in conglutinatione vulnerum (cum *Bolo communi*) in fracturis, &c. inservit & anacolematibus. N. *Hippocrates* exhibet febricitantibus albumina 3. aut 4. ad refrigerandum & egerendum. *Vitellum Ovi* vim habet anodynâ, maturandi, digerendi, laxandi; proinde usu creberrimo clysteribus immisceri, quin & cum salis tantillo mixtum infantum umbilico (in testa juglandis) imponi solet ad ciendum alvum, *Schrod.* Qui plura velit, *Aldrovandum* & *Schroderum* adeat.

XXXVII. De Pavone.

Vis hæc passim nota, vel sola caudæ longitudine, & gemmantibus oculis ab aliis omnibus abunde distinguitur, Raii Ornith. p. 112.

A. **P**Avo, *Offic. Schrod. v. 322. Aldrov. Ornith. ii. 8. Mer. Pin. 172. Schw. A. 325. Gesn. de Avib. 393. Jons. de Avib. 37. Charlt. Exer. 80. Will. Ornith. 112. Raii Ornith. 158. Ejusd. Synop. A. 51. Pavus & Pavo, Bellon. des Oyse 234. The Peacock. Usu.* Integer, Adeps, Fel, Stercus, Pennæ, Ova. *Vires.* Jus Pavonis pleuritidis specificè fertur prodesse, præcipue si sit pingue. Adeps, cum succo Rutæ & Melle, colicos affectus optimè sanat. Fel oculorum hebetudini, fluxionibus, asperis item superciliis medetur. Stercus proprietate vertiginem, & epilepsiam sanat (in dies multos exhibitum) nimirum exsiccatum & pulverisatum drachmam unam maceretur per noctem in vino, &c. Pennæ adhibentur in suffitu, adversus uteri ascensum. Ova exhibentur ad curandam Arthritidem vagam dictam, *Schrod.*

XXXVIII. De Meleagride.

A. **M**Eleagris, *Offic. Bellon. des Oyse 249. Gallo-pavo, Aldrov. Ornith. ii. 35. Gesn. de Avib. 426. Charlt. Exer. 81. Jons. de Avib. 39. Mer. Pin. 172. Schw. A. 279. Gallo-pavo five Meleagris & Numidica avis, Raii Ornith. 159. Ejusd. Synop. A. 51. Will. Ornith. 113. Gallus Indicus quibusdam. The Turkey. Vires.* Caro Analeptica existimatur, Veneremque excitare.

XXXIX. De Perdice.

A. 1. **P**ERdix, *Offic. Schrod. v. 323. Perdix cinerea, Aldrov. Ornith. ii. 140. Jons. de Avib. 46. Charlt. Exer. 83. Will. Ornith. 118. Raii Ornith. 166. Ejusd. Synop. A. 57. Perdix minor fulva, Bellon. des Oyse 258. The Common Partridge. Usu.* Caro, Medulla, Sanguis, Jecur, Fel, & Pennæ. *Vires.* Caro comesta semen atque lac auget; Venerem excitat. Medulla, ut & Cerebrum propinatum, Ictericos juvare dicitur. Fel ad affectus oculorum præfertur aliis. Sanguis oculis cruore suffusus & recentibus eorum vulneribus illinitur. Jecur ficcatum ad ignem, & pulverisatum, morbo regio resistit, singularisque fertur antidotus contra febrem, si aliquoties in Aqua Millefo-

lii assumatur, *Crato*. *Pamæ* inserviunt suffocationi uterinæ (suffitus naribus admotus) doloribus colicis, aliisque mitigandis, discutendis, &c. *Schrod.*

A. 2. *Perdix*, *Schw. A.* 327. *Gesn. de Avib.* 606. *Perdix rufa*, *Mer. Pin.* 173. *Charlt. Exer.* 83. *Jons. de Avib.* 46. *Aldrov. Ornith.* ii. 139. *Will. Ornith.* 119. *Raii Ornith.* 176. *Ejusd. Synop. A.* 57. *Perdix major rufa*, *Bellon. des Oyse* 256. **The Red-legg'd Partridge.** *Usu.* Caro, &c. ut supra. *Vires.* Cum superiore convenit.

XL. De Coturnice.

A. **C**oturnix, *Offic. Schrod. v.* 317. *Bellon. des Oyse* 264. *Aldrov. Ornith.* ii. 150. *Will. Ornith.* 121. *Raii Ornith.* 169. *Ejusd. Synop. A.* 58. *Gesn. de Avib.* 310. *Mer. Pin.* 173. *Schw. A.* 247. *Charlt. Exer.* 184. *Jons. de Avib.* 47. **The Quail.** *Usu.* Pinguedo, & Excrementa. *Vires.* Pinguedo oculis prodest maculas abstergerendo. Excrementa coturnicum helleboro vescentium (quod ipsis, ut quidam scribunt, in alimentum cedit) singulari proprietate quadam conferre epilepticis quidam volunt, *Schrod.*

XLI. De Attagene.

A. **A**ttagen, *Offic. Aldrov. Ornith.* ii. 75. *Bellon. des Oyse* 241. *Jons. de Avib.* 41. *Gesn. de Avib.* 199. Attagen Aldrovandi, *Francolino Itolorum, Raii Ornith.* 174. *Ejusd. Synop. A.* 54. Attageni Aldrovandi seu Francolino Itolorum, *Will. Ornith.* 125. Lagopus altera *Plinii.* An Gallina Corylorum, *Schw. A.* 277? **The Goz-Cock, Moor-Cock, or Red-Game.** In altissimis montibus reperitur. *Usu.* Caro, Fel. *Vires.* Conceditur purulentis à *Tralliano*, Nephriticis à *Galeno*. Cerebrum & genituram auget, *Avicenn.*

XLII. De Columbibus.

Columbarum notæ omnibus speciebus communes, quibus ab aliis avium generibus distinguantur, non admodum multæ sunt, viz. figura corporis peculiaris, cuculum referens; tibiæ breves; alæ prælongæ; volatus pernix; vox gemebunda, bina duntaxat unica vice ova ponere; sæpius tamen in anno parere; pedes rubri & sanguinei, *Raii Ornith.* 130.

A. 1. *Columba*, *Offic. Columba domestica, Schrod. v.* 316. *Bellon. des Oyse* 314. *Columba*, sive *Columbus*, *Ind. Med.* xxxix. *Columba domestica seu vulgaris, Raii Ornith.* 180. *Ejusd. Synop. A.* 59. *Will. Ornith.* 131. *Columba domestica, Aldrov. Ornith.* ii. 462. *Jons. de Avib.* 62. *Schw. A.* 237. *Columba domestica, Livia, Charlt. Exer.* 84. *Columba vulgaris, Gesn. de Avib.* 245. *Columba vulgaris, Livia, Mer. Pin.* 174. **The Pigeon or Dove.** *Usu.* *Columba viva, Sanguis, Tunica ventriculi, Fimus. Vires.* *Columba viva per medium dissecta, castrique, dum sanguine adhuc calet, imposita, feroces humores mitigat, melancholicam tristitiam discutit; hinc convenientissimum medicamen est in phrenitide, cephalalgia, melancholia, podagra. Sanguis tepens oculis instillatus, dolorem, lippitudinemque sedat; suffusiones, sanguinemque discutit; vulnera recentia curat; peculiariter cruorem à membranis cerebri erumpentem cohibet; podagricum dolorem mitigat. Tunica Ventriculi exsiccata & pulverisata, commendatur in dysenteria. Fimus vehementer excalfacit, ideoque urit, discutit, ruborem cutis sanguinem alliciendo excitat: hinc usus frequentis in cataplasmatibus & emplastris rubilicantibus. Sic tritus & cribratus, cumque semine Nasturtii impositus, facit ad effectus inveteratos: cujusmodi sunt Arthrides, Hæmicrania, Vertigo, Cephalalgia, &c. Interne calculum atterit, & urinam pellit, *Schrod.**

A. 2. *Palumbus*, *Offic. Schrod. v.* 322. *Schw. A.* 313. *Bellon. des Oyse* 308. *Gesn. de Avib.* 272. *Jons. de Avib.* 63. *Palumbus torquatus, Will. Ornith.* 135. *Raii Ornith.* 185. *Ejusd. Synop. A.* 62. *Charlt. Exer.* 85. *Palumbus major seu torquatus, Aldrov. Ornith.* ii. 484. *Mer. Pin.* 175. **The Ring-Dove.** In sylvis. *Vires.* Convenit cum *Columba*, exustæque plumæ ictericos reficere, calculosis, urinæque difficultatibus subvenire dicuntur, *Schrod.*

A. 3. *Turtur*, *Offic. Schrod. v.* 324. *Mer. Pin.* 175. *Bellon. des Oyse* 310. *Aldrov. Ornith.* ii. 505. *Gesn. de Avib.* 277. *Schw. A.* 362. *Charlt. Exer.* 85. *Jons. de Avib.* 64. *Raii Ornith.* 183. *Ejusd. Synop.* 61. *Will. Ornith.* 134. **The Turtle Dove.** *Usu.* Integer Avis, Adeps. *Vires.* Cum *Columba* viribus convenit, peculiariter in dysenteria, ac sistendo mensium profluvium. Adeps inter assiduum collecta illinitur renibus, ventri, pectori, inguinibus, &c. *Schrod.*

XLIII. De

XLIII. De Turdis.

NOtæ omnibus communes sunt, magnitudo inter Columbas & Alaudas media; rostrum longitudinis & crassitiei mediocris, deorsum modicè inflexum; os intus flavum; cauda longa; victus ex baccis & insectis promiscuus, R. Ornith. p. 137.

A. 1. Turdus, Offic. Charlt. Exer. 89. Turdus vulgaris, Mer. Pin. 176. Turdus viscivorus minor, Bellon. des Oyse 326. Turdus simpliciter dictus, Aldrov. Ornith. ii. 600. Jons. de Avib. 73. Turdus minor alter, Gesn. de Avib. 690. Turdus muscus, Schw. A. 361. Turdus simpliciter dictus, five Viscivorus minor, Will. Ornith. 138. Raii Ornith. 188. Ejusd. Synop. A. 64. **The Wavis, or Whizz.** Vires. Myrtorum baccis farti & affi ventris profluvio laborantibus exhibentur, Plin. Bellon. Tempore pestis in aceto macerati laudantur, Alexand. Bened. Pulverem adversus Napellum commendat Gainarius.

A. 2. Merula, Offic. Aldrov. Ornith. 604. Gesn. de Avib. 542. Jons. de Avib. 73. Charlt. Exer. 90. Mer. Pin. 177. Merula nigra, Schw. A. 300. Bellon. des Oyse 320. Merula vulgaris, Will. Ornith. 140. Raii Ornith. 190. Ejusd. Synop. A. 65. Collyrion, Turn. **The Black Bird.** Usu. Avis ipsa, Stercus. Vires. Avis inasata cum Myrti baccis dysentericis mederi scribit Plin. Fimus cum aceto mistus extirpat lentigines, Jons.

A. 3. Sturnus, Offic. Bellon. des Oyse 321. Gesn. de Avib. 677. Charlt. Exer. 90. Jons. de Avib. 96. Schw. A. 351. Will. Ornith. 144. Raii Ornith. 196. Ejusd. Synop. A. 67. Sturnus vulgaris, Aldrov. Ornith. ii. 632. Mer. Pin. 177. **The Stare, or Starling.** Circa turre & altiora ædificiorum culmina. Usu. Fimus. Vires. Cosmetica existimatur, ad alphos, pannos, impetiginem, & morpheam, Galen.

A. 4. Galbula, Offic. Galbula five Picus nidum suspendens, Aldrov. Ornith. i. 854. Will. Ornith. 147. Raii Ornith. 198. Ejusd. Synop. A. 68. Picus nidum suspendens, Jons. de Avib. 80. Oriolus, seu Picus nidum suspendens, Gesn. de Avib. 645. **The Witwall, by Salmon ineptè called the Yellow Hammer,** i. e. Emberica lutea. Vires. Ad morbum regium commendat Plin.

Aves rostro & unguibus aduncis, seu Rapaces vel Carnivoræ.

HÆ vel sunt Diurnæ, vel Nocturnæ.

Aves Rapaces, Diurnæ.

Rapacibus in genere hæ notæ conveniunt: Caput habere grande; collum breve; rostrum & ungues aduncos, validos, acutos, ad rapinam & laniationem comparatos; femora itidem valida; linguam latam, crassam, carneam, & humanæ similem, R. Ornith. p. 25.

XLIV. De Aquila.

Avis rapax, diurna, è maximis, omnium generatissima, rostro à radice statim adunco, R. Ornith. p. 26.

A. Aquila, Offic. Mer. Pin. 170. Aquila fulva five aurea, Will. Ornith. 26. Raii Ornith. 58. Ejusd. Synop. A. 6. Chryseatos, Aldrov. Ornith. i. 110. Charlt. Exer. 70. Jons. de Avib. 2. Aquila Germana, Gesn. de Avib. 149. Aquila Regalis, Schw. A. 214. Aigle Royal, Bellon. des Oyse 89. **The Golden Eagle.** Usu. Fel, Stercus. Vires. Fel distillatum cum oleo violaceo, ad aurium dolorem & tinnitum; fimum ad abortum commendat Avicen.

A. 2. Halieætus, Offic. Aldrov. Ornith. i. 187. Jons. de Avib. 3. Caii de Animal. 85. Bellon. des Oyse 96. Halieætus, five Aquila marina, Will. Ornith. 29. Raii Ornith. 59. Charlt. Exer. 70. Gesn. de Avib. 177. Halieætus, seu Ossifraga, Raii Synop. A. 6. Halieætus, seu Osprey, Mer. Pin. 170. Nisus Veterum. **The Osprey.** Usu. Medulla crurum & Ossium; in medicina autem raro occurrit. Ad pisces capiendos utilis esse vulgò creditur.

XLV. De Vulture.

NOtæ sunt, Rostrum non confestim atque à fronte enascitur in hamum curvatum, verum post duorum

rum digitorum continuam rectitudinem; Collum fere implume habere: Inguviem ante ventrem velut sacculus propendentem, R. Ornith. p. 34.

A. Vultur, Offic. Schrod. v. 324. Schw. A. 373. Vultur niger, Aldrov. Ornith. i. 271. Will. Ornith. 35. Gesn. de Avib. 707. Raii Ornith. 66. Ejusd. Synop. A. 9. Fons. de Avib. 7. Vultur nigricans, Charlt. Exer. 71. Vautour brun, Bellon. des Oyse 85. **The Vulture.** Ufu. Caro, Pinguedo, Cerebrum, Fel, Fimus. Vires. Caro convenire judicatur affectibus capitis, Epilepsiae, Hemiplegiae, & simil. Decoctum cutis vitia sanare perhibetur. Pinguedo convenit nervis. Cerebrum subvenit capitis imbecillitati, Fel Epilepsiam arcere dicitur, assumptum cum vino. Fimus dolore partum excutit, Schrod.

*Aves Rapaces diurnae minores, macrop-
terae, Raii Synop.*

XLVI. De Buteone.

A. Buteo, Offic. Fons. de Avib. 11. Charlt. Exer. 72. Gesn. de Avib. 39. Raii Ornith. 70. Buteo vulgaris, Will. Ornith. 29. Buteo five Triorchis, Aldrov. Ornith. i. 363. Bellon. des Oyse 109. Mer. Pin. 171. Buteo vulgaris five Triorchis, Raii Synop. A. 16. Accipiter, Buteo, Schw. A. 187. **The Buzzard.** Ufu. Testiculi. Vires. Ex aqua fontis cum melle decocto ad Venerem commendatur, Fons.

XLVII. De Milvo.

A. Milvus, Offic. Bellon. des Oyse 130. Schrod. v. 321. Raii Synop. A. 17. Mer. Pin. 170. Aldrov. Ornith. i. 391. Gesn. de Avib. 549. Fons. de Avib. 13. Charlt. Exer. 72. Milvus vulgaris cauda forcipata, Will. Ornith. 41. Milvus cauda forcipata, Raii Ornith. 74. **The Bite, or Glead.** Ufu. Ipse incineratus, Caput, Hepar, Sanguis, Fel, Stercus, Pinguedo. Vires. Incineratus Podagrae, Epilepsiaeque subvenire dicitur, exhibitus; idem de capite affirmant, ac hepate incineratis. Hepar insuper oculorum Medicamentis adhibetur. Sanguis podagricos juvat, cum Urtica mixtus & impositus. Fel oculariis additur. Ster-

eus articulis cum successu imponitur. Pinguedo articulorum doloribus illinitur, Schrod.

Aves Rapaces brachypterae, i. e. alis cauda brevioribus, seu ab extrema cauda cum componuntur multum deficientibus, Raii Synop. A. 18.

XLVIII. De Accipitre.

A. Accipiter, Offic. Schrod. v. 13. Accipiter Fringillarius, Mer. Pin. 170. Schw. A. 189. Fringillarius Accipiter vulgo Nifus dictus, Aldrov. Ornith. i. 344. Accipiter Fringillarius, Gesn. de Avib. 43. Fons. de Avib. 10. Charlt. Exer. 72. Accipiter Fringillarius seu Recentiorum Nifus, Will. Ornith. 51. Raii Ornith. 86. Ejusd. Synop. A. 18. Fringillarius, Bellon. des Oyse 122. **The Sparrow-Hawk.** Ufu. Avis ipsa, adeps, excrementa. Vires. Integer Oculorum vitiis succurrit, in oleo coctus oculoque inunctus. Idem sentiendum de Adipe: Insuper omnibus vitiis cutis medetur oleum illud illitum. Excrementa calfactoria vi adeo pollent, ut a Galeno ex foro Medico eliminantur, nihilo minus tamen sunt, qui oculorum vitiis arcendis adhibeant, aliis ad partum promovendum exhibita, vel in suffitu adhibita. Hippocrates & Plinius ad sterilitatem emendandam propinant, Schrod.

XLIX. De Cuculo.

A. Cuculus, Offic. Schrod. v. 317. Schw. A. 249. Bellon. des Oyse 132. Charlt. Exer. 73. Gesn. de Avib. 319. Will. Ornith. 62. Raii Ornith. 97. Cuculus alter, Aldrov. Ornith. i. 416. Cuculus minor, Fons. de Avib. 14. Cuculus nostras seu Aldrovandi secunda, Raii Synop. A. 23. **The Cuckow.** Ufu. Avis ipsa, fimus. Vires. Ustus commendatur ad calculum, ventriculi dolorem, & humiditatem, Rondel. Datur & utiliter feblicitantibus paroxysmi tempore, medetur Epilepticis, &c. Fimus morsum canis rabidi curat potus, Schrod.

Aves Rapaces nocturnæ.

Capitis & oculorum magnitudine & protuberantia, quodque noctu avolent, & prædentur, à reliquis Rapacibus diurnis differunt, Raii Synop. A. 24.

L. De Noctua.

A. **N**OCTUA, *Offic. Schrod. v. 321. Bellon. des Oyse 141. Gesn. de Avib. 561. Aluco, Fons. de Avib. 32. Charlt. Exer. 78. Aluco minor, Will. Ornith. 67. Raii Ornith. 104. Ejusd. Synop. A. 25. The Barn, or White Owl. Usu. Caro, Fel, Pinguedo. Vires. Caro curat Paralyticos, Plin. Melancholicos & sim. Rabbi Moys. Apostema, Anginæ mirabiliter aperit & rumpit, cinis integræ non deplumata in guttur immittitur. Fel ad maculas Oculorum valet. Pinguedo aciem Oculorum acuit, Schrod.*

LI. De Ulula.

A. **U**LULA, *Offic. Aldrov. Ornith. i. 538. Bellon. des Oyse 142. Gesn. de Avib. 700. Mer. Pin. 171. Fons. de Avib. 32. Charlt. Exer. 78. Strix cinerea, Will. Ornith. 68. Raii Ornith. 105. Ejusd. Synop. A. 26. The Gray Owl. Usu. Fel, Adeps, Caro. Vires. Fel ejus prædicatur ad albugines, suffusiones, & caligines. Adeps ad claritatem. Caro cocta in oleo, cui liquato admiscetur butyrum ovillum, & mel, ad sananda ulcera valet, Plin. In Arthritide à quibusdam æstimatur.*

D. Salmon in Dispensatorio suo, Barnaclam, Corvum leguminalium Erythropedem, Fodeam, Jyngem, Oriolum, Pelicanum, Picum marinum, Pluvialem, Psittacum, Puffinum, Querquedula, Rallam, Sneyam, Turdum exoticum, & Urogallum memorat, quarum cum vires nullas medicas à quoquam Auctore traditas invenio, omisi, ut & Arquatam Anatem fistularem, Colymbum, Coraciam, Embericam albam, Fringillam, Phœnicopterum, & Possèrem Canariensem Sepias ejus, cum varietatibus ejusdem generis, aliisque multis quæ ad Historiam Avium potius pertinent, quàm ad Pharmacopœiam aut Pharmacologiam.

SECTIO TERTIA.

De Serpentino Genere.

Serpentini generis notæ sunt, Corpus depile; Pulmo rarus; unicus in corde ventriculus; ovipara esse saltem intus; caput corporis respectu parvum, biatus tamen amplus.

Serpentini generis Animalia sunt vel

- Apoda
 - Vivipara, id est, ova in utero fovientia, & vivos foetus parientia: *Vipera.*
 - Ovipara, id est, ova in fimetum aliumve calidum locum deponentia, ubi calore solis foventur & excluduntur: *Anguis.*
- Pedata,
 - Caudata, corpore
 - Squamoso
 - Terrestria: *Lacerta.*
 - Amphibia, colore
 - Cinereo: *Scincus.*
 - Vario, nigro & luteo: *Salamandra.*
 - Testa dura & robusta tecto: *Testudo.*
 - Non caudata
 - Amphibia: *Rana.*
 - Terrestria: *Bufo.*

De Serpente.

Serpens est Animal pulmone respirans, unico in Corde ventriculo, corpore longo, terete, gracili, squamis minuto, pedibus carente, temperie frigida, indiciæ diuturnæ patiens, Raii Synop. A. 284.

I. De Serpente.

A. **S**ERPENS, *Offic. Schrod. v. 305. Serpens Anguis, Schw. Rept. 137. Anguis, Gesn. de Serp. 43. Anguis Coluber, Mer. Pin. 204. Natrix torquata, Aldrov. Hist. Serp. 287. Fons. de Serp. 89. Raii Synop. A. 334. Charlt. Exer. 35. The Snake. Usu. Adeps, Exuviae, Fel. Vires. Pinguedo emollit strumas, oculorum rubedini &*